Quelle: https://manuscripta.at/?ID=46681
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



LIBER I?

qui perturbabant plebem suum. et obtinuerunt terram iuda. et fecit plagam magnam nimis. Et audit iudas omnia mala que fecit alchimus et qui cum eo erant filius iste plus multo quam gentes. et erat ei omnes fines iude. et mercatu et fecit vindictam in uiros desertores. et cessauerunt ultra exire in regionem. Vidit autem alchimus quod prevaluit iudas. et qui cum eo erant. et cognouit quia non potest sustinere eos. et egressus est ad regem. et accusauit eos multis criminibus.

XXII.

Et misit rex nichanorem virum exactorem principibus suis nobilioribus qui erat inimicissimus israel. et mandauit ei exterere populum. Et uenit nichanor hierusalem cum exercitu magno. et misit ad iudam et ad fratres eius uerbis pacificis cum dolo dicens. non sit pugna inter me et te. Veniam cum uiris paucis. et videam faciem uestram cum pace. Et uenit ad iudam et salutauit eum pacifice. Et hostes parati erant rapere iudam. Et intellexit sermo iude quia dolo uenerat ad eum. et contristatus est admodum. et amplius noluit videre faciem eius. Et cognouit nichanor quoniam denudatum est consilium. et exiit obuiam iude in pugnam iuxta caphar salama. et ceciderunt de exercitu nichanoris fere quinque milia uirorum et fugerunt in ciuitatem dauid. Et post hec uerba ascendit nichanor in mon-

tem syon. Et exierunt de sacerdotibus populi salutare eum in pace et demonstrare ei holocaustoma ta. et que offerebantur pro rege et irridens spreuit eos. et polluit et locutus est superbe. et iurauit dicens. nisi traditus fuerit iudas et exercitus eius in manus meas continuo cum egressus fuero in pace. succendam domum istam Et erat cum ira magna. Et intrauerunt sacerdotes et steterunt ante faciem altaris et templi. et flentes dixerunt. Tu elegisti domum istam domine ad inuocandum nomen tuum in ea. ut esset domus orationis et obsecrationis populo tuo. fac vindictam in hominem iste. et exercitu eius et gladio cadant. memento blasphemias eorum. et ne dederis eis ut permaneant. Et exiit nichanor a hierusalem et castra applicuit ad bethoron. Et occurrit illi exercitus syrie. Et iudas applicuit in adarsa cum milibus uiris. Et orauit iudas et dixit. Qui missi erant a rege sennacherib. dominie quia blasphemauit te. exiit angelus et percussit ex eis centum lxxv. milia. sic conterere exercitum istum in conspectu nostro hodie et sciant ceteri quia male locutus est super sanctum tuum. et iudica illum secundum malitiam illius. Et consumpserunt exercitus prelium tertia decima die mensis adar. et contrita sunt castra nichanoris et cecidit ipse primus in prelio

163